



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

X. De bonis ecclesiasticis in universum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

pauperes, qui nihil solvere possunt, sine solemnibus sepeliantur ².

- 1) *Arrêt du 27. Mars 1646. Mem. du Clergé part. 1. tit. 2. c. 6.*
- 2) *Ritual. Rom.*

quibus
sepultura
denegatur?

VI. SEPULTURA ecclesiastica solis fidelibus conceditur; deneganda itaque infantibus non baptizatis, adultis infidelibus, hæreticis, excommunicatis, in manifesto peccato, veluti in duello vel propria manu interentis, usurariis, concubinariis publicis, sacramenti paschalis contemtoribus, verbo, cunctis peccatoribus impœnitentibus ¹. Hi omnes privantur sepultura & precum fructu, &, si in loco sacro conditi, effodiendi sunt ac projiciendi ², ut defuncti memoria infamia oneretur, & viventibus terror incutiatur. Qui ultimum supplicium passi sunt, sepeliri possunt, si condignam pœnitentiam egerint ³.

- 1) *C. 2. de hæret. in 6. C. 2. de usur. in 6. C. omn. utriusque X. de pœnit.*
- 2) *C. 12. X. de sepult.*
- 3) *C. 13. q. 2. c. 30.*



C A P. X.

DE BONIS ECCLESIASTICIS
IN UNIVERSUM.

I.

Bona ec-
clesiæ ne-
cessaria.

DEVENIMUS ad res *temporales*, quæ Deo consecratæ usibus Ecclesiæ destinatæ sunt. Nulla universitas sine bonis communibus subsistere

sistere potest, quum vel in singulos conventus & in stipendia ministrorum publicorum sit aliquid impendendum. Hinc a primis Ecclesiæ incunabulis symbolam contulere fideles, noctu quippe convenientes, ad luminaria, ad vasa sacra, ad panem vinumque eucharisticum, toties sumtum; ad agapas, ad libros aliaque utensilia comparanda. Alendi fuere præterea Episcopi, presbyteri, diaconi, qui, ut Ecclesiæ servirent liberius, plerique ad voluntariam paupertatem redacti erant. Curanda erant funera, hospitalitasque exercenda in omnes Christianos viatores. Providendum fuit virginibus Deo consecratis, viduis, orphanis, infirmis, cunctisque pauperibus fidelibus, præsertim martyribus & confessoribus, vel in carceris squalore degentibus, vel ad metalla atque ad alia opera publica damnatis.

II. NON de primitiva Ecclesia Hierosolymitana, in qua fideles cuncta habuere communia; sed de ceteris omnibus loquor, quarum nulla fuit, quæ non pro facultatum modulo his sumtibus suppeditaret, qui in tenui illa & laboriosa Christianorum vita facile suppetebant, omni plura habendi desiderio & lucri cupidine persecutionum æstu dissipata¹. Unde bona Ecclesiæ illis temporibus consistebant in rebus mobilibus, quæ facile asportari, abscondi vel distribui possent; veluti in pecunia aut rebus ad victum & amictum necessariis, in frumento, vino, oleo, vestibus pro pauperibus².

olim res
mobiles.

1) *Mor. Christ. c. 28. 50. JUSTINUS I. Apol. in fine.*

2) *TERTULL. apol. c. 39. vid. Acta Colon. Cirib.*



ex 1. ob-
lationi-
bus.

III. JUDAEI, Deo decimas & primitias fructuum, nec non varia subsidia ad sacrificia & vota offerre soliti, quum Christiani fierent, idem institutum sub Evangelio urgendum esse censuerunt. Pagani autem, ad Christum conversi, maximos sumtus in sacrificia idolorum & in profana spectacula facere consueverunt. Quidquid hujus est, id sane constat, inde a principio fidelibus *decimarum* & *primitiarum* oblationes fuisse commendatas ¹.

1) *Const. apost. 2. c. 25.*

volunta-
riis.

IV. OBLATIONES istæ *voluntaria* fuere, ad quas antistites populum exhortabantur: Fideles autem quid, quale, quando & quantum vellent, vel in hebdomadas, quod Paulus suadet ¹, vel in menses vel aliter offerebant ². Relatæ sunt ad Episcopum, vel in certum locum, ubi diaconi oblationes acceptas asservarunt, & pro re nata ex nutu Episcopi dispensarunt ³. Episcopus nullam rationem reddidit, quippe haud suspectus ⁴. Non enim electus fuisset, si non de animis, multo sane pretiosioribus, Deo rationem eum reddere posse, certum fuisset ⁵.

1) *1. Cor. XVI. 2. 2. Cor. IX. 1.*

2) *TERTULL. apol. c. 39.* 3) *Can. Apost. 3. 4. 5.*

4) *C. 12. q. 2. c. 34.* 5) *Can. apost. 41.*

2. Post
immobi-
lia eccle-
siis data,

V. PACE post persecutiones redeunte, quum imperatores & principes Christiani fierent, libere donatum Ecclesiis; nec cuiquam nimia donationes videbantur, quæ tanta cura distribuebantur ¹. Habuere quidem jam antea Ecclesiæ bona *immobilia*, quod ex edicto

CONSTANTINI & LICINII manifestum, quo an. 313. eorum restitutio urgebatur²; sed postea numero creverunt. Nam & in civitatibus domus & ruri prædia, h. e. pagi cum omnibus habitatoribus, qui servi erant, donabantur, tanta munificentia, ut v. gr. Ecclesia Romana terras haberet prope Euphratem, e quibus thus & suffitum capiebat³. Ad quas administrandas subdiaconi vel alii clerici emittebantur⁴.

1) Mor. Christ. 39.

2) EUSEB. 10. hist. c. 5. LACTANTIUS de mortib. persecut. n. 45.

3) Hist. eccl. I. 9. n. 46. l. 35. n. 15.

4) GREGOR. I. ep. 70. 73. 7. ep. 17. 18.

VI. IIS igitur temporibus duplicis generis bona habere Ecclesiæ; *fundos*, e quibus certi redditus; & *oblationes* quotidianas, quæ parcius quidem, sed tamen fiebant. Sanctissimus quisque Episcoporum, priores exosi, maluissent obventiones istas fortuitas, si suffecissent, quam satraparum more a conductoribus rationes exigere, aliosque labores, sine quibus annui redditus colligi nequeunt, suscipere¹. Quod onus vel in *archidiaconos*, vel in *æconomos* devolverunt, qui in omnibus Ecclesiis instituti², & e corpore clericorum lecti sunt; Episcopo tamen rationem reddituri³. Optimi Episcopi, qui bona sua omnia pauperibus erogarunt, bona Ecclesiæ omni modo augere sategerunt⁴.

a dispen-
satoribus
admini-
strata;

1) CHRYSOSTOM. in Matth. hom. 85. POSSIDON. vita August. c. 23.

2) Concil. Chalced. c. 26.

3) C. 16. q. 7. 2. 21. &c. 4) C. 12. q. 1. c. 12.

distribu-
tio redi-
tuum.

VII. BONA illa erant *communia*, distribu-ebanturque ex nutu Episcopi inter clericos & pauperes. Mos generatim fuit, ut *quatuor* partes fierent, quarum una *Episcopo* & familiae ejus propter hospitalitatem exercendam, altera *clero*, tertia *pauperibus*, quarta *Ecclesiis reparandis* cessit ¹. Quod negotium non fuit divisio quæpiam fundorum, sed nuda reddituum assignatio, quæ e re nata mutari poterat ².

1) C.12. q.2. c.30. 2) c.23. *ibid.*

Origo
præben-
darum.

VIII. CLERICIS non communiter viventibus, vel quod uxores sortiti essent, vel aliis de causis, stipendia vel *hebdomadalia* vel *menstrua* vel in pecunia numerata, vel certa cibariorum portione, quæ proinde *præbenda* audit, suppeditabantur ¹. Quæ pro opera navata augeri, minui, suppressive poterant. Sed hi Ecclesiae ministri, qui ex Ecclesia erant, ut populo exemplum perfectionis Christianae ostenderent, jure suo sæpe neglecto, pauperibus cuncta admensi, suo patrimonio, vel labore, Pauli exemplo ² & canonum præcepto ³, vitam sustentarunt ⁴. Communiter viventes, quos posterior ætas *canonicos* vocavit, omni rerum humanarum cura soluti, paupertatem veluti monachi coluere ⁵. Hæc bonorum Ecclesiasticorum primis octo sæculis facies, hic usus fuit.

1) C.12. q.1. c.8. CYPRIAN. ep.14.

2) Act. XX.15. 3) c.3.4. D.91. 4) C.12. q.1. c.25.

5) C.12. q.1. c.10.11. Hist. eccl. l.24. n.40.